

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 7193

**Autre(s) référence(s) :** Round 638, 639

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Évroult-Notre-Dame-du-Bois, Notre-Dame (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** douteux

**Datation :** [1172-1178]

**Lieu d'émission :** Caen

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation des biens de l'abbaye de Saint-Évroul (acte suspect).

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DXIII, t. 2, p. 70-73.

### Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationery Office, 1899, n° 638 et 639.

## Dissertation critique

« 1172-1173 – 1178 » : sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, Recueil des actes de Henri II, t. 2, p. 70. Souscription de Richard du Hommet, mort en 1179 ; après un séjour en France d'août 1177 à avril 1178, Henri II n'est pas retourné sur le continent en 1179. Cet acte, qui porte la formule Dei gratia, n'est pas antérieur à 1172-1173.

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia rex Anglorum, dux Normannorum et Aquitanorum, comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, vicecomitibus, justiciis et baillivis suis, salutem.  
Sciatis me concessisse et hac presenti carta mea confirmasse abbati et monachis Sancti Ebrulfi in liberam et quietam elemosinam ab omni terreno servitio quicquid habent in castris meis de Molins et de Bonmolins, et in tota ballia eorumdem castrorum, ecclesiam videlicet Sancti Laurentii de Molins cum manerio et hominibus et terris, pratis et aliis pertinentiis suis, ecclesiam de Maheru cum omnibus pertinentiis suis et hominibus et juribus ; decimam de Bonmolins cum mansura Roberti le Charon et mansura magistri Roberti presbyteri, et ecclesias Sancte Columbe et Sancte Gauburgis cum omnibus pertinentiis suis, et in forestis de Molins et de Bonmolins et de Maheru et in Brolio calflagium monachorum de Molins de mortuo bosco et de branchis et de arboribus furcatis sine liberatione

forestariorum, et ad herbergagium suum per liberationem forestariorum, et molendinum Herout habendum in liberam et quietam elemosinam ad petitionem et donum Willermi de Aspris militis mei et Willermi de Blavo, concedentibus et condonantibus Waltero dicti Willelmi de Aspris filio et Bartholomeo de Ferraria capitali domino supradicti Willermi de Blavo, cum tota villa que Heroderia dicitur et pertinentiis suis, sicut eam de me tenuerat sepefatus Willermus de Aspris, et cum tota molta totius terre sue de parrochia Sancte Columbe et Sancti Hilarii super Rislam, et feodi preconis Mauritannie et feodi Aveline quod Chavateria dicitur, et feodi Guigani Heron et Jordani fratris ejus, ipsis potentibus et concedentibus et distinctionem et emendas omnium supradictarum moltarum, sicut eas habebant supradicti donatores, et in supradictis forestis quitantium pasnagii et herbagii, et unam fagum ad Natale Domini ad opus monachorum de Molins. Concedo preterea ut omnes homines quos habent idem abbas et monachi in predictis castris et in tota baillia eorum liberi sint et quieti ab omnibus consuetudinibus et theloniis et tailliis et auxiliis et caragiis, muragiis et escuagiis, avenagiis et fossatis, et omnibus aliis distinctionibus de me et de successoribus meis. Volo etiam et firmiter precipio ut dicti abbas et monachi in eisdem hominibus et in omnibus terris suis habeant quicquid in eis habebamus in omnibus rebus et exitibus et obventionibus, exceptis placitis que sunt de spata mea cum pertinentiis suis. Adhuc autem precipio ut omnis victus et vestitus predictorum abbatis et monachorum liber sit et quietus, et omnes res eorum per totam terram meam Anglie, Normannie et comitatus Andegavensis et Cenomanensis, et maxime in portibus maris, ab omnibus passagiis meis et consuetudinibus et theloniis, sicut poterunt affidari esse proprie eorumdem et famulorum suorum qui de proprio pane eorumdem abbatis et monachorum vivunt, et prohibeo ne quis eos inde disturbet super decem libris forisfacture. Concedo etiam eisdem abbati et monachis quitanciam pasnagii et herbagii et calfagium et herbergagium omnibus monachis suis apud Nogionem et apud Novum Mercatum et apud Altifagum commorantibus in omnibus forestis meis et hais de Leonibus et de Aevi. Preterea sciatis quod Ricardus Bordet recognovit coram me abbati et monachis Sancti Ebrulfi dominatum totius ville de Cueleio et ecclesiam ejusdem cum omnibus pertinentiis suis, totam decimam garbarum lini, canabi et leguminum et molendini ejusdem ville, et dimisit eis quicquid juris vendicabat et clamabat in eisdem decimis et straminibus et custodia earum, predicti vero abbas et monachi receperunt eum et Bernerium filium suum in ordine suo et monasterio intuitu pietatis et precum mearum interventu. Johannes etiam Cornet recognovit in presentia mea apud Falesiam quod tenebat de eisdem abbate et monachis duas partes decime parochie de Barra ad firmam unius modii tertionarii ad mensuram de Barra. Sciatis etiam me concessisse et hac presenti carta mea confirmasse eisdem abbati et monachis Sancti Ebrulfi subscriptam conventionem et concordiam inter eos et Rogerum de Bachenc. militem eorum in presentia mea factam super molendino quod idem abbas et monachi habent in feodo Brit. et aliorum septem hominum quos quidam milites tenent de monachis ipsius Sancti Ebrulfi, et tandem de consilio amicorum suorum totum clamorem suum dimisit et quitavit memoratis abbati et monachis in presentia mea, et idem abbas concessit ut si forte molendinum illud caderet vel molere non posset, quod tota supradicta moltura ad alia molendina Sancti Ebrulfi veniret, et medietatem illius haberet Rogerius, donec abbas et monachi molendinum suum in illo loco vel alibi in feodo Berit. reedificant, et reedificare licebit quandocunque et ubicunque voluerint super aquam Carentone per totam terram suam de feodo Brit. ; et pro hac conventione firmiter tenenda donavit predictus abbas memorato Rogerio unum palefridum centum solidorum Andegavensium. Quare volo et firmiter precipio ut hec conventio et concordia in presentia mea facta, sicut in hac presenti carta continetur, ab utraque parte inconcusse et integre teneatur ; et quia molendina eorumdem abbatis et monachorum et predicti Rogerii penuria aque multotiens cessabant et molere non poterant, indulsi eis et concessi ut aquam suam in suis vivariis integre tenerent et conservarent, quotiens sibi viderint expedire ad opus molendinorum suorum et abbatie, et hanc meam indulgentiam et concessionem hac presenti carta mea confirmavi. Et quia inter eos duellum erat vadiatum super serviciis que dictus Rogerus debebat prenominatis abbati et monachis de feodo unius lorice quod est apud Bauquenchai et apud Sanctum Nicolaum, et de quadam vavassoria terre que est inter Tolquentam et Carentonam, taliter fuit concordatum illud duellum coram me et Ricardo de Humeto senescallo (sic) meo Normannie apud Cadomum in eskecario meo, quod memoratus Rogerus serviet sepedictis abbati et monachis de feodo unius lorice cum equis et armis in exercitibus meis quotiens de mandato meo ab eis submonitus fuerit, et de predicta vavassoria serviet suis stipendiis de servitio unius equi sepefatis abbati et monachis in negotiis suis, quotiens ab eis submonitus fuerit. Concedo insuper et confirmo omnes ecclesias, decimas, homines et nemora et terras et redditus et libertates et quitancias quas eisdem abbati et monachis donaverunt, concesserunt et cartis suis confirmaverunt de donis progenitorum suorum et suis Willermus comes Pontivi, Robertus comes Legrecestrie, Galerannus comes Mellenti, Willermus de Sancto Serenico et Symon comes Ebroicensis, et Willermus de Romara, et Ricardus de Altifago et Richerius de Aquila, et Ricardus Fresnel et Gualquelinus de Ferrariis et Amalricus de Gaceio. Quare volo et firmiter precipio ut supradicti abbas et monachi suprascripta omnia que hac presenti carta mea

continentur ita pacifice et quiete teneant sicut umquam aliquis hominum aliquid de me melius et honorificentius tenuit.

Teste meipso, et Arnulfo Lexoviensi episcopo, Ricardo de Humetis senescallo (sic) Normannie, et Roberto de Hare cort, et Godardo de Vaus.

Apud Cadomum.